



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 34. S. Pauli, cum SS. Luca, Sila, & Timotheo itinera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum I.
A. C. 42.

1. Cor. 9. 20.

Aug. ad
Hier. ep. 40.
c. 3. & ep.
82. c. 6.

Cyp. ep. 71.
ad Quint.

Aug. de
Bapt. cont.
Don. l. 2. c. 2.

parte sciebat S. Paulus legalia adhucdum esse permiffa, quod & ipse data occasione faciebat, vivens cum Judæis, sicut Judæus, ne eorum cæremonias videretur dammare, quæ bonæ erant pro tempore, quo Deus illas præceperat; erat ergo Petri culpa, non nisi error in moribus, consistens in nimio Judæis placendi studio, cum non tantum privatim eorum more viveret, sed etiam, ne eos offenderet, a Gentilium conversatione abstinere, quasi illos existimasset immundos; sicque contra decisionem Concilii Gentes judaizare cogeantur si cum Judæis fidelibus communicare velent. S. Petrus nec Primatum obtendit, nec Paulum in Apostolatu juniorem despexit, aut quod persecutus fuisset Ecclesiam; sed accepit consilium, quod veritati erat consentaneum, & libenter rationibus allegatis acquievit.

§. XXXIV.

Iter S. Pauli, cum SS. Luca, Sila, Timotheo.

Act. 15. 36.

Non multo post Paulus ait ad Barnabam: *Revertamur visitare fratres per omnes civitates, ubi prædicavimus, ut sciamus eorum conversationem.* S. Barnabas etiam Joannem Marcum volebat comitem, sed Paulus rogabat, ut relinquerent eum, eo quod in Pamphilia ab ipsis discessis-

discessisset; cumque essent contrariæ opinio-
 nis, in diversa profecti sunt. Barnabas sumens secum Marcum ivit in
 Cyprum. Paulus habens apud se Silam, discessit, postquam a fratribus Dei gra-
 tiæ commendatus est. Hæc contestatio profuit Marco, quem S. Paulus sequenti
 tempore utiliter adhibuit; fuitque hujus separationis emolumentum, ut Evange-
 lium pluribus in locis annuntiaretur.

Sæculum I.
 A. C. 42.

Chrys. hom.

34. in act.

Col. 4. 10.

2. Tim. 4. 11.

Act. 15. 41.

Act. 16. 1.

2. Tim. 1. 5

Chrys. hom.

34. in act.

XVI. 3.

*Aug. de men-
 dacio c. 5. n. 8.*

S. Paulus cum Sila perambulans Sy-
 riam, & Ciliciam, solidabat Ecclesias, ex-
 hortatus, ut decreta Apostolorum, & Pres-
 byterorum Jerosolymæ servarent. Venit
 Derben, & Lystris, ubi Discipulum
 invenit nomine Timotheum, cujus bona
 erat fama apud omnes Discipulos Lystris,
 & Iconii; Patrem habebat Gentilem,
 Mater vero ejus Eunice Judæa erat fide-
 lis; sed & Avia ejus Lois in vera fide vi-
 xerat. Hunc Paulus volebat secum du-
 cere, sed antea circumcidit eum propter
 illius Regionis Judæos, quibus in animum
 induci non potuisset, ut Doctrinam ab
 incircumciso acciperent; sed etiam, nisi
 fecisset Paulus, consanguineis Matris e-
 jus, qui erant Judæi, potuisset videri an-
 sam præbuisse, ut crederent, ipsum a Le-
 gis Ceremoniis abhorreere; ipse vero vo-
 lebat indicare, si Gentiles Ceremonia-
 rum onus non suscepissent, non ideo fa-
 ctum, quod eas esse malas crederent, sed

Saculum I. non amplius necessarias. Cognoscens
 A. C. 42. Paulus per Spiritum Prophetiæ, Timo-
 1. *Tim.* 4. 14. theum a Deo electum ad sacrum Ministe-
 2. *Tim.* 1. 6. rium, cum Presbyteris Ecclesiæ imposuit
 ei manus; sicque ei Gratia collata est.

Act. 16. 6. Itaque Paulus duobus jam comitibus
 Sila, & Timotheo Ecclesias visitando per
 mediam Phrygiam, & Galatiam transibat,
 sed Spiritus S. eos in Asiæ Provincia ev-
 angelizare vetuit. Cum venissent in My-
 siam, voluntas erat in Bithyniam transi-
 re, nisi Jesu Spiritus prohibuisset. Vene-
 runt ergo Troaden civitatem Asiæ mari-
 timam, alias dictam Antigoniam; ibi no-
 ctu Paulo in visione apparuit quidam Ma-
 cedo, rogans, ut in Macedoniam transi-
 ret. Illico obtemperavit Paulus de vo-
 catione Dei certus; & cum Sila, & Timo-
 theo Troade solvit. Creditur S. Lucas
 hic primo eum secutus, quia in historia
 Actuum Apostolorum a se conscripta hic
 primo de se ipso mentionem facit. Erat
 Antiochenus, professione Medicus, &
 deinceps in omnibus itineribus S. Pauli
 indivisibilis comes.

Plin. 1. 5. c. 30

Act. 16. 10.

Iren. 1. III.

c. 14.

Hier. de
Script. in
Lucam.

§. XXXV.

S. Paulus in Macedonia.

Act. 16. 13. T roade recta Samo-Thraciam perrexere,
 altera die Neapolim, inde Philip-
 pos, Romanorum in Macedonia coloniam,
 ibi